



**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De  
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex  
quoque Euangeliō depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resurrectionem D. N. Iesv Christi

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agr., 1599**

**VD16 ZV 2606**

Meditatio 26. De flagellatione Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](#)

MEDITATIO  
VIGESIMASEXTA.

DE FLAGELLATIONE  
. Christi.

EVANGELIVM.

**D**I XIT igitur illis ter-  
tiò Pilatus: Quid ma-  
li fecit homo iste? E-  
go nullam caussam  
mortis inuenio in eo.  
Corripiam ergo illum, & dimittā:  
At illi clamabant, vt crucifigeretur;  
& magis inualescabant. Tunc ergo  
apprehendit Pilatus Iesum, & fla-  
gellauit.

*Matt. 27.  
Marc. 15.  
Luc. 23.  
Ioan. 19.*

FIGVR A.

**H**I E R E M I A S Prophetas verbe- *Ier. 20.*  
ratus, & in carcерem coniectus *& 37.*  
ist, quod veritatem dixisset.

PRO-

*Psal. 20.*

**E**T fui flagellatus tota die, & castiga-  
tio mea in matutinis.

*Isaiæ 50.*

*Corpus meum dedi percutientibus.*

*Isaiæ 1.*

*A planta pedis usque ad verticem ca-  
pitis, non es in eo sanitas:*

*Isaiæ 50.*

*Reputauimus eum quasi leprosum, &  
percutsum a Deo, & humiliatum.*

*Ibid.*

*Ipse autem vulneratus est propter de-  
lictæ nostra: Attritus est propter scelera  
nostra.*

#### CONSIDERATIONES.

*i. Punctū.*

**C**VM animaduerteret Pilatus, non  
posse placari Iudæorum furorem,  
constituit insigni aliqua pæna animad-  
uertere in Salvatorem, quæ satis esse vi-  
deretur ad extinguidam furētem ra-  
biem, usque cō saltem, ut hac contenti  
mortem vrgere non pergerent. Hoc est  
spectaculum, magnum & admirabile,  
quale ab orbe condito nullum exsite-  
rat. Cui enim vñquā veniret in mētem  
in humeros Dei flagella casura: & Domi-  
num cælorū, Creatorem rerum omnīū  
omnipotentem & gloriosum Deum  
cō descensurum, vt ad columnam lig-  
aretur, tanquam mancipium & latro gra-  
uibus plagiis diuerberaretur. Hæc tamen  
omnia

omnia effecit, anima mea, grāuitas cul-  
pæ tuæ, & immēritas diuinæ in nos ca-  
ritatis. Tam graue erat vulnus nostrum,  
vt ad illius curam opus esset tam acerbo  
& crudeli remedio.

Considera quām inhumaniter licto-  
res diripiunt vestes de Saluatoris corpo-  
re, quomodo ipse patiatur se nudari nec  
os aperiat, nec vocem mittat ad tantam  
inhumanitatem & inuercundiam. Stat  
ergo vestibus nudus, pulcherrimus om-  
nium mortalium. Sed verbis explicari  
non potest quām grauis fuerit hic pu-  
dor virgineo Christi cordi, vt nudus co-  
ram tot impudicis & sceleratis, homini-  
bus consisteret. Etsi enim ipse, quod  
peccato careret, nullum haberet pudo-  
ris cauissam, tamen quod in similitu-  
dine carnis nostræ esset, virtute vere-  
cundiæ præditus erat, idque tanto ex-  
cellentius, quanto sine comparatione  
cum aliorum Virginitatem tum castissimæ  
Matris pudicitiam sua puritate,  
superabat. Vide præterea quomodo di-  
uina illa brachia, quæ cælum sustinent,  
distracta sint, & duris funibus non si-  
ne acri doloris sensu ad columnam al-  
ligata, quam columnam, pro animæ  
tuæ redemtione, dulcis Iesus magno  
cum amore & desiderio est amplexatus.

Ibi

Ibi impij milites incipiūt virgis, & horribilibus flagellis sœuire, in carnem māsuetissimi illius agni, sic vt dum sine misericordia repeterent verbera, & plagas alias super alias ingererent, & vulnera priora posterioribus amplificarēt, ab illo innocentissimo corpore sanguinis riu in terram vsque defluerent.

Vide quomodo Dominus Angelorum stet solus inter tot crudeles carnifices, nec ullum habeat, qui se defendat, aut pro se roget. O si quis cogitando esequi posset, delicatissimi illius corporis dolores, multoqué magis crudeliores alios, quibus animum eius lacerabant peccata, & ingratus animus noster! Vertebat dolore afflictus Iesus, dolens caput, nunc in hanc, nūc in illam partem, circumspectans lacrymosis & misericordibus oculis, nunc hunc, nunc illum ex crudelibus illis ministris, si forte in quoquam illorum reperiret vestigium aliquod humanitatis & misericordiae. Sed heu! omnes videt suis malis gaudere, & exultare supplicijs, eumque haberi misericordissimum, qui in ipsum suis est crudelissimus.

Considera Iudas, quod vereretur, ac Pilatus flagellatum dimitteret, curasse, vt tanta vi à ministris verberaretur, vt inter

inter ipsam verberationem exspiraret.  
 Itaque cogita quo modo benedictus Ies-  
 sus fuerit tractatus. Nullus fuit in cor-  
 pore locus sine vulnero, nulla pars sana:  
 sed quemadmodum Propheta prædixit:  
*A planta pedis usq; ad verticem capit is Isaia. 53.*  
 non erat in eo sanitas: quod ipse ita fieri  
 voluit, eò quod in Ecclesiæ corpore my-  
 stico, pro quo patiebatur, nulla pars sana  
 atque integra esset. O electe Fili Dei mei,  
 quæ procolla te sublatū immisit in hoc  
 tantum mare amaritudinis? Quid com-  
 misisti, vt tantam asperitatem & igno-  
 miniam merereris? Ego sum homo ille  
 peritus, ego sum, qui causa fui perdi-  
 tionis tuæ, ego vuam acerbam comedí,  
 & dentes tui obstupuerunt, ego ille la-  
 tro, qui manum extendi ad pœnum re-  
 titum, & tu pœnam quam non debebas  
 exsoluis, vt rectè Propheta dixerit: *Dis-  
 plina pacis nostra super eum:* Et alias ali-  
 bi: *Qua non rapui tunc exsoluebam.* *Isaia 53.*

*Psal. 63.*

Considera flagratiſſimum in nos Re-  
 demtoris nostri amorem, qui quātum-  
 cunque nostra causa pateretur, nūquam  
 tamen tantum potuit pati, quin plura  
 adhuc desideraret, idque vt re ipsa cer-  
 tissimum nobis clariſſimumque id fa-  
 ceret inditium ardentissimæ & in com-  
 prehensæ in nos caritatis. Itaq; cùm iam  
 nulla

nulla pars esset in eo sana atque integra, manet tamen integrum & quasi recens desiderium maiora patiendi. Crudeliter sauciauerant & lacerauerant carnifices totum corpus: at cor ipsius amore integrum & invictum in patientia conservabat. Deficiebant lictores viribus in flagellando; in Christo vero non fatigabatur affectus plura patiendi. Iam preciosa eius caro & sanguis paullatim in terram decidebant & planè consumebantur: sed ipse ardentia ad cælum emittens suspiria, formosissimum & innocentissimum corpus suum, offerebat patri cælesti hostiam viuentem. Et quanquam omni ex parte crudelissimis doloribus vexaretur (singulæ enim plaga, quod temperamentum corporis eius tenerrimum essent, ad ipsum cursorque penetrabant) nihilominus tanto flagrabit desiderio satisfaciendi Patri, & hominis redimendi, ut amor quasi dominans in toto ipsius animo dolores, gemitus & querelas omnes suppresserit, nec posset aliud quam amare, & ex amore pati.

## COLLOQUIVM.

DE TE à Christo, quoniam ipse amore nostri non recusauit calumnæ nundus

dus alligari, & tam crudeliter, in morem  
nouissimi serui pulsari verberibus & fla-  
gris: vt te confirmet gratia, qua patien-  
ter & moderatè omnia flegella, ab illo ti-  
bi peccatorum caussa imposita, feras, &  
quando ille ex sua virginea carne dissol-  
uere voluit æs alienum, delectationum  
& superfluarum voluptatum, quod tu  
seruus viliissimus tuo corpore contraxe-  
ras: doceat te post hæc castigare & fræ-  
num adhibere carni tuæ, vt iusta asperi-  
tate & duritia vitae eā coerceas, ne quid  
possit aduersus spiritum.

## DOCUMENTA.

1. *Q*VI fieri potest, ut unquam nos  
offeramus superbia, aut vestiuꝝ  
splendore capiamur, aut desideremus mag-  
nifici alij esse venerationi, cum vi-  
deamus Deum nostrum cum maximo pu-  
dore nostra gratia nudatum palam conſi-  
ſtere?

2. Non defensionem, non appellationem  
à Pilati sententia Christus ad fert: ut do-  
ceat nos veri amatoris esse, promptum se  
exhibere ad perferendas etiam cùm culpa  
vacat, non verborum tantum, ſea etiam  
verberum iniurias.

3. Ut Chriftº amore nostri voluit nudari,  
ita nos animos nostros ſpiritualibus Patri-

b 111

## 220 MEDITATIONES

bus debemus aperire: ne ignominia no-  
stra, exiremo iudicij die, corā Christo &  
Angelis appareat.

4. Discamus à Christo rationem tra-  
stantam carnis: non illi scilicet assentendū,  
sed rigore & asperitate continendam, &  
immoderatos appetitus frano regendos.

5. Si Christus passus est flagellari se ab  
inimicis, quanto magis decet nos lubenter  
accipere superiorum reprehēsiones, & mo-  
lestias, quas nonnunquam Deus nobis im-  
mittit, cùm ab his sciamus amarinos, &  
salutem nostram ab ipsis queri.

6. Sit tanta fuit Christi in nos liberali-  
tas in sanguine donando, etiamne iniquū  
est nos erga ipsum res nostras, & nos ipsis  
largiendo non esse liberales?

7. Si, ut Christi exemplum doceat, in  
hac vita flagellari signum est in altera  
secuturæ gloria; nec possumus solatijs frui  
simul, hic & in futuro: gaudemus &  
expetamus in hac vita cum Christo fla-  
gris cadi, ut in altera gloria illius parti-  
cipes simus.

8. Christus de tot iniurijs & ignomi-  
nijs quas à Iudeis patiebatur, neque ver-  
bo questus est, neque re ullare refractarium  
se ostendit: ut docet nos, in vindican-  
do honorem Christiani non esse, sed infe-  
renda patienter si quam accepit, iniuria.

M. B.